



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Libellus Sodalitatis: Hoc Est: Christianarum Institutionum  
Libri quinque**

**Coster, Franciscus**

**Antverpiæ, 1587**

11 Remedia contra acediam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46553](#)

152 CHRISTIANARVM  
rus, pauperibus erogandi, si in ebrietate laba-  
tur; neq. de hac poena quicquam remittat.

CAPVT XI.

REMEDIA CONTRA ACEDIAM.

**P**RIMVM, Considerare beneficia atque  
labores Christi, pro nobis suscepitos, qui-  
bus excitari debemus, ut aliquid in eius  
gratiam agamus.

2. Cogitare facilitatem operis boni, cuius  
difficultatem Christus passione sua sustulit.

*Ioan. 16.* Confidite, inquit, ego vici mundum. Iugum meum

*Matt. 11.* suave est, & onus meum leue. & (ut inquit Aposto-

*I. Ioan. 5.* lus) mandata eius grauia non sunt. Ero, inquit

*Osae 11.* Dominus, quasi exaltans iugum super maxillas eo-  
rum: Itaque suauiter equitat, quem gratia Dei  
portat.

*Matt. 23.* 3. Perpendere operis necessitatem. Nam in-  
fernus impendet non laborantibus: cum ser-  
uus malus, & piger mittatur in tenebras exte-  
riores, non aliam ob causam, quam quod talé-  
tum Domini sui ad lucrum non expendisset.  
Sicut ergo puer de virga cogitás, & operarius  
de inedia, excitat se, hic ad labore externum,  
ille ad litterarū studia: ita meritò excitari de-  
bet ad discutiendam pigritiam, qui poenas se-  
cuturas considerat.

4. Contemplari omnium creaturarū inde-  
fessum labore, ad voluntatē Dei. Sol enim &  
omnia sydera immensum iter quotidiana cir-  
cumvolutione perficiunt: arbores & herbæ no-  
bis flores & fructum producunt; bestiæ quel-  
libet

bet ad naturæ rationem operantur, etiā minima formicæ, ad quas nos Sapiēs remittit. In- *Prou. 6.*  
dignum est ergo, ut solis homo ocio torpeat.

5. Videte quātus labor sustineatur passim ab omnibus, ad consequendos honores, opes, aliasq. istius mundi vanitates perituras; quātaq. nosip̄ si fecerimus, aut faciamus ad animarum nostrarum damnationem. Si ergo vera fides est in nobis, qua certissimè credimus, non esse condignas passiones huius temporis *Rom. 8.*  
ad futuram gloriā, quæ reuelabitur in nobis:  
& hoc leue ac montaneum, operari in nobis *1. Cor. 4.*  
æternum gloriæ pondus: tantamq. pro exiguo labore reddi gloriam, vt eā neq. oculus vide- *1. Cor. 2.*  
rit, neque auris audiuerit, neq. in cor hominis ascenderit: meritò omnis torpor est excutie-  
dus, & manus operi est admouenda, maximè cùm exigua sint, quæ à nobis Dominus po-  
stulat, nempe vt sicut exhibuimus mēbra ser- *Rom. 6.*  
uire immundiciæ, & iniquitati ad iniquitatē:  
ita nunc exhibeamus membra nostra seruire iustitiæ in sanctificationem.

## CAPVT XII.

MEDIA AD COMPARAN-  
*dam humilitatem cordis.*

**V**ERA humilitas nō in externis actio-  
nibus, sed in corde inuenitur, de qua Christus: *Discite à me quia mihi sum,* & *Mat. 11.*  
*humilis corde.* per quam homo vilis est abiectus-  
que semper in oculis suis, & talis haberi ab omnibus desiderat; & si habeatur, gaudet. Ve-

K. S. rus